

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO**

*Ph.D.. Level Medieval Latin Examination*

**5 September 2003**

\*\*\*\*\*  
Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**  
\*\*\*\*\*

**1. Request to Yolanda, duchess of Savoy, to refrain from diverting the tax imposed on clerics and Jews**

Ducisse Sabaudie. Dilecta in Domino filia, salutem etc. Mirati sumus atque doluimus de his que nobis significavit dilectus filius Iohannes Antonius de Buxeto, notarius et collector noster, videlicet quod subsidium defensioni fidei Christiane contra infideles Turcos decretum, ad recuperationem insule Cypri converti velis, cum scire debeas impositionem et exactionem eius ad nos sanctamque sedem apostolicam, non autem ad principes seculares spectare, nec que Deo dicata sunt in prophanos usus converti debere, aut sacra mysteria cum temporalibus immiscenda. Nos hactenus non denegavimus regine ipsi pro viribus subvenire, ob honorem inclyte domus Sabaudie, quamvis nonnulli ob id offenderentur. Cave igitur, ne divinam offendas clementiam, et ultionem eius incurras. Permitte quoque subsidium impositum libere exigatur, quemadmodum ceteri Italie faciunt potentatus. Nullo enim pacto intendimus tolerare, ut id quod exigendum est ab ecclesiasticis et Iudeis, in alium usum quam Christianorum contra infideles subsidium, convertatur. Datum Rome, die XVI Maii anno MCCCCLXXVI, pontificatus V.

Cont'd....

## **2. Baudri of Bourgeuil to one who has promised him a letter.**

Rumores de te frater michi rettulit unus,  
Quos ego complector colloquiumque precor.  
Rettulit ipse, mei quoniam non immemor esses,  
Meque salutando mox tua uerba dedit.  
Rettulit ipse michi, quia me uehementer amares  
Meque semel uisum pectore congereres;  
Rettulit ipse michi, quia, si tibi fidus adisset  
Portitor, ipse michi dirigeres tabulas.  
Suscepi gaudens, quicquid michi rettulit ex te,  
Iamque rependo tibi fedus amicitie.  
Ecce salutantem me uerbo te resaluto,  
Si tamen alludas uersibus ipse meis.  
Verbaque carminibus, uerbis quoque carmina iunxi,  
Vt saltem placeam quolibet ipse modo.  
Et precor, ut detur locus alter colloquiorum,  
Vt sic te nostris contigues oculis.

## **3. Abelard: Letter 9 to the Nuns of the Paraclete**

Beatus Ieronimus in erudictione uirginum Christi plurimum occupatus inter cetera que ad edificacionem earum scribit, sacrarum studium litterarum eis maxime commendat, et ad hoc eas non tam uerbis hortatur quam exemplis inuitat. Memor quippe sentencie qua Rusticum monachum instruens ait: “Ama scienciam scripturarum et carnis uicia non amabis”, tanto magis necessarium amorem huius studii feminis esse censuit, quanto eas naturaliter infirmiores et carne debiliores esse conspexit. Nec solum ad hanc uirginum exortacionem argumentum similitudinis a uirginibus sumptum inducit; unde ad comparacionem minoris uiduas et coniugatas in exemplum assunit, quo magis sponsas Christi ad hoc studium incitet per matronas seculi et ex uirtute laicarum torporem excuciat uel confundat monialium. Et quoniam iuxta illud Gregorianum “a minimis quisque inchoat ut ad maiora perueniat”,

Cont'd.....

premittere iuuat, quanta diligencia uirgunculas in sacris imbuere litteris studuerit. Vnde, ut omittam cetera, illud nunc in medium procedat quod ad Letam de institutione filie sue Paule propter morum doctrinam tradit hanc litterarum disciplinam. 'Sic erudienda est', inquit, 'anima que futura est templum Dei.'

#### 4. Augustine, *De doctrina Christiana*: Ambrose uses history to best the Platonists

De utilitate autem historiae, ut omittam Graecos, quantam noster Ambrosius quaestionem soluit calumniantibus Platonis lectoribus et dilectoribus, qui dicere ausi sunt omnes domini nostri Iesu Christi sententias, quas mirari et praedicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse, quoniam longe ante humanum aduentum domini Platonem fuisse, negari non potest. Nonne memoratus episcopus, considerata historia gentium, cum reperisset Platonem Hieremiae temporibus profectum fuisse in Aegyptum, ubi propheta ille tunc erat, probabilius esse ostendit quod Plato potius nostris litteris per Hieremiam fuerit imbutus, ut illa posset docere uel scribere, quae iure laudantur? Ante litteras enim gentis Hebraeorum, in qua unius dei cultus eminuit, ex qua secundum carnem uenit dominus noster, ne ipse quidem Pythagoras fuit, a cuius posteris Platonem theologiam didicisse isti adserunt. Ita consideratis temporibus fit multo credibilius istos potius de litteris nostris habuisse quaecumque bona et uera dixerunt, quam de Platonis dominum Iesum Christum, quod dementissimum est credere.